



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Collegij Germanici instituendi initium, & causæ. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

CAPVT VI.

**N**Equè verò de Germaniæ salute  
in Germania solum nostri labo-  
rabāt, sed etiam in Italia: quo-  
rum opera Collegium Germanicum à  
Iulio tertio, Pont. Max. Romæ eodem  
anno 1552. institutū est. Quod utiq; Col-  
legium etsi Societatis nostræ propriū  
non est, tamen quod à Societate guber-  
natur, ac pendet multiplex eius utili-  
tas, ea ex parte in nostris numero. Eius  
initium eiusmodi fuit: Erat Igna-  
tius cum ad curandas pro virili parte  
omnes vitiosas Christianæ Republic.  
partes intentus, tum verò ad eam, quæ  
maximè laborabat, Germaniæ Pro-  
uinciam. Illi igitur de medicina cogi-  
tanti, Ioannes Moronus S. R. E.  
Cardinalis, vir prudentiæ laude excel-  
lens, hanc vnā proposuit, quam cog-  
natis atque exploratis Germanicis re-  
bus ex legatione Apostolica qua fun-  
ctus in Germania fuerat, magnam vim  
habituram sperabat: aut orq; in primis  
fuit Germanici Collegij in vrbe cōsti-  
tuedi. Etenim animaduertit, quòd in  
scitia quorūdā Sacerdotū in Germania  
& vi-

& vita non satis probata perditum &  
& profligatum fuerat, doctorum ac pa-  
storum erudita probitate restituendū.  
Esse aut percommođū, Doctores ac Pa-  
stores Germanorum Germanos esse:  
sic enim fore, vt eiusdem nationis legi-  
bus, moribus, natura inter se, atque a-  
more deuincti, facilius in eorum ani-  
mos influant: & materna lingua in-  
structi, vim maiorem ad persuadendū  
habeant. Eiusmodi porro magistrorū  
ea in Prouincia inopiam summam ef-  
se: eamque fieri quotidie maiorem, ijs  
qui supersunt, paulatim deficientibus:  
hæreticorum verò magnum esse nu-  
merum, & noua semper prole copio-  
siorem. Ex quo consilium salubrius ex-  
cogitari nullum potuit, quàm Se-  
minarium institui, quo, antequam o-  
mninò exaresceret, stirps ipsa excita-  
retur in semine: & præclari iuuenes,  
ingenij ac virtutis spe commendati,  
ab ea ætate quæ flexibilis est, mori-  
bus, literis, atque institutis Catholi-  
cis ad omnē pietatem informarentur.  
Hoc Seminarium in Germania sanè  
fieri vix poterat: nam vt maximè inte-  
grum locum, atque incorruptum eli-  
gas, inter venenatos tamen hæretico-  
rum morsus, facilis contagio esset: ne-  
que

que vspiam à callidis hostibus satis tu-  
ta adolescentia. Extra Germaniam ve-  
ro, neque locus ad eam rem aptior, ne-  
que Academia commodior, neque ci-  
uitas, quàm Romana, opportunior ef-  
se potuit : in qua nimirum doctrinæ  
Catholicæ integritas, loci ipsius san-  
ctitas, hominum in Urbem confluenti-  
um multitudo, ac deuotio, Religionis  
auitæ atq; Apostolicæ reuerentia, be-  
nifica summorum Pontificum, ac pro-  
lixa liberalitas, procreare in ipsis ado-  
lescentibus pietatem, atq; alere, & à  
fraude hæreticorum facillè possunt a-  
uertere. Hæc maximè fuit ratio insti-  
tuendi Germanici Collegij, initia pri-  
mùm, vt diximus, à Cardinali Moro-  
no, cum Ignatio deinde, alijsque gra-  
uissimis viris communicata, à Iulio  
III. Pont. Max. ac vniuerso Cardina-  
lium Senatu suscepta, & confirmata.  
Atque vt certo res ac stabili funda-  
mento niteretur, in victum illorum  
& cultum summus Pontifex pecuniam  
de suo promissam quotannis benignè  
persoluit: eiusque exemplum Cardina-  
les omnes, pro sua quisque facultate,  
cupidè sunt secuti. Quo ipsi Germa-  
ni adolescentes rerum ad vitam ne-  
cessariarum molestia liberati, de pie-  
tate

rate tantum modò, ac doctrina cogita-  
rēt. Data igitur Ignatio cura est, iuue-  
nes ex omnibus Germaniæ partibus  
ad eā rē euocandi, moderandiq;. Quā  
ille Prouinciam, tum rei magnitudi-  
ne tum Pontificis Max. permotus im-  
perio, libentissimè suscepit. Spectatos  
viros Collegio præposuit, optimis  
illud legibus temperauit; & vt Germa-  
ni idoneos haberent in nostro Colle-  
gio Romano præceptores, magna cu-  
ra perfecit. Illud nequaquam susce-  
pit, vt rationes pecuniarias nostri at-  
tingerent, aut ijs, quæ ad sumptus per-  
tinent, vel exigendis, vel distribu-  
endis implicarentur. Mortuo tamen  
Iulio III. in eo bello quod ad Urbem  
postea gestum est, cum videret. Igna-  
tius propter annonæ caritatem, bel-  
licosq; tumultus Collegium Germa-  
nicum periclitari: ne præclarum opus  
ae necessarium omninò dissolueret-  
ur, partem ipsorum iuuenum id vo-  
lentiū in varia Societatis Collegia di-  
misi, in quibus dum nimbus ille tran-  
siret, commodius alerētur: partem Ro-  
mæ retinuit, & conquisitis pecunijs  
magno suo labore sustentauit, suam-  
que obligauit fidem, quam pulchrè  
Dominus liberauit, debitis ad num-  
mum

mum postea persolutis. Quo ipso tan-  
 ta inopia tempore palam dixit Igna-  
 tius, quod alias saepe dixerat, diem il-  
 lum aliquando futurum, cum Germa-  
 nicum Collegium, non modo nullis  
 rei familiaris premeretur angustiis,  
 sed etiam abundaret rebus necessariis,  
 atque afflueret. Et cum Ottho Truf-  
 ses, S. R. E. Cardinalis, Episcopus Au-  
 gustanus, acerrimus Catholicæ fidei  
 propugnator, atque eximius Germa-  
 nici Collegij patronus, principio sub-  
 uereri videretur difficultates, quæ in  
 illo constituendo multa & magnæ a-  
 liæ ex alijs subinde nascebantur, ipsum  
 bene animo esse Ignatius iussit, & in  
 Deo bene sperare. Addiditque si Pro-  
 uinciam Cardinalis recusaret, se illam  
 Dei benignitate confisum, magna a-  
 nimi alacritate suscepturum, deposi-  
 tumque ab alijs onus subiturum. Ne-  
 que Ignatium se fellit spes. Deus enim,  
 vt impulsor præclarissimi operis atque  
 autor fuit, sic adiutor eiusdem, fautor-  
 que esse non destitit. Nam Gregori-  
 um XII Pont. Max. sapientissimum af-  
 flatu suo, instinctuque diuino permo-  
 uit, vt collapsum pendè Collegium Ger-  
 manicum erigeret, augetet & in do-  
 mo certa magnis prouentibus atq; per-  
 petuis.

petuis stabiliret, & de nobilissima atque amplissima Germanica natione bene mereretur; & omnes animi nervos contenderet, vt Catholicam Religionem ea in Prouincia vel conseruaret, vel restitueret, quam alij Gregorij sanctissimi Pontifices luce Evangelica illustrassent, amplificassent, & muneribus amplissimis Imperij ornata, lōgè alijs orbis terrarum prouincijs præretulissent.

FRANCISCI XAVIER  
obitus.

CAPVT VII.

**E**odem anno P. Franciscus Xauier profectus ex India ad illustrandos Euangelij splendore Sinarum populos, in ipso primo aditu illius Prouinciæ decessit è vita. Hic Pater natione Hispanus, in extremis Nauarræ Vasconum finibus, qui Gallos attingunt, nobili loco natus est, liberaliterque à parentibus educatus. Post primæ ætatis incunabula atque doctrinæ, studiorum causa Lutetiâ Parisiorum se contulit, tantumque in eruditione profecit, vt Aristotelicâ Philotophiâ publicè profiteretur. Quo tēpore in Ignati-